

obligat utpote simpliciter voluntarium. Metus enim iste, a propria apprehensione excitatus, neque aufert libertatem, neque injuste est incussus ad votum extorquendum, nisi forte rationem adeo perturbet ut ejus usum tollat.

2° Attamen ex alia parte **ALBITIUS** non tenetur ingredi ordinem Carthusianorum, quia votum emissum est cum ignorantia circumstantiæ magni momenti, qua cognita, ille votum non emisisset, ut supponitur. Invalidum enim est votum, quoties vovens non tantum errat circa substantiam voti, sed etiam circa circumstantiam aliquam magni momenti, quæ votum impedisset, si cognita fuisset. Excipe tamen votum solemne professionis religiosæ, quæ instar matrimonii, ob nullum errorem, nisi ad substantiam rei promissæ pertinentem, infirmatur. *Voit, n. 573. — Lacroix, n. 378. — Layman, etc.*

CASUS IX.

DE VALORE VOTI 4°.

GERALDUS, perditus moribus ac in libidinem maxime pronus, audita vehementi concione contra luxuriam, statuit se ad meliorem frugem recipere, et ad propositum confirmandum exercitia spiritualia in quodam cœnobio aggreditur; ibique, ut arctius Deo adhæreat, perpetuam castitatem vovet, licet advertat, de ipsius Confessarii consilio, statum conjugalem multo meliorem sibi quam cœlibem fore. Sed postea, cum ad pristinam vilam rediisset, statuit matrimonium inire, ratus votum irritum esse, utpote quod *melius* impediret.

HINC :

QUÆR. *An valeat votum GERALDI, et dispensatione indigeat ad matrimonium contrahendum?*

SOLUTIO :

311. — *R. Affirm.* Valet votum **GERALDI**, quia est simpliciter de meliori bono, absolute loquendo, et pro omnibus, licet matrimonium ipsi convenientius fuisset quam cœlibatus, et licet forte votum matrimonii, utpote de bono relative meliori, emittere potuisset. Nec obstat magna proclivitas ad luxuriam, quia aliis mediis reprimi potest. Secus enim qui, emisso voto, hujusmodi proclivitatem experiretur, a voto liber evaderet, quod absurdum est. Ergo **GERALDUS**, si matrimonium inire velit, dispensationem a voto prius obtinere debet. Ita *Lacroix, l. 3, n. 481*, qui tamen fatetur ex gravium Theologorum suffragio oppositam sententiam esse probabilem. *V. Castropalao, tr. 15, D. 1, p. 9, n. 14.*

CASUS X.

DE VOTI OBLIGATIONE 1°.

BIBIANA, femina ad vovendum valde proclivis, plura emisit vota, et speciatim votum rosarium die sabbati recitandi. Cum illud quondam mane

recitaret, intentionem expresse elicuit per eam recitationem non satisfaciendi, sed satisfaciendi vespere per recitationem novam. Vespere autem recitare eam piguit. Voverat se modicam eleemosynam singulis diebus daturam esse; sed pluribus vicibus id omisit. Contigit quoque ut voveret se die Dominica, post vespertinum Officium, piæ lectioni aut orationi vacaturam; sed paulo post, voti hujus immemor, iterum vovebat se iisdem horis aliquas puellas pauperulas Fidei Christianæ rudimenta esse educturam. Verum, ubi prioris voti recordatio subiit, maxima perplexitate vexata est, nesciens quale votum e duobus sibi servandum esset. Tandem, ne iterum in tantis ambages se conjiceret, strictissimo voto se obligavit ad nunquam vovendum absque Confessarii approbatione et consensu.

HINC :

QUÆR. 1° *An BIBIANA voto de recitando rosario satisfecerit?*

2° *An omittendo modicas eleemosynas graviter peccaverit?*

3° *Quodnam votum ex duobus illis insociabilibus fuerit servandum?*

4° *An validum fuerit votum non vovendi sine approbatione Confessarii? Quid vero, si, non obstante tali voto, BIBIANA motu proprio vovisset?*

SOLUTIO :

312. — *R. ad 1^m Quærs. Nego.* Ratio est, quia obligatio voti oritur a propria voventis voluntate, et ab ea absolute pendet; proinde qui expresse intendit non satisfacere, sed manere obstrictus ea obligatione, reapse obligatus adhuc remanet. Idem de juramento dicendum est. Ergo **BIBIANA** opus voti cum intentione satisfaciendi ponere debet, vel saltem intentionem non excludere: satisfaceret tamen juxta communem sententiam, si immemor obligationis, opus promissum posuisset; quia quisque censetur habere prius voluntatem obligationibus satisfaciendi, quam aliquid supererogatorium faciendi. Si quis autem audiendo Sacrum die Dominica intenderet tum præcepto Ecclesiæ non satisfacere, et alii Missæ assistere, nihilominus satisfaceret primam Missam audiendo, quia præceptum non a propria voluntate oritur. *V. Comp. de legibus, n. 103, 104. — S. Lig. l. 1, n. 163; et l. 3, n. 221, in fine.*

313. — *R. ad 2^m Quærs. Nego;* quia votum parvitatem materiæ admittit, et **BIBIANA** in re levi votum violavit. Imo votum etiam in re gravi non obligat ultra intentionem voventis; ideo, si vovens voluerit in re gravi se obligare tantum sub levi, et opus promissum omittat, venialiter tantum peccabit. *V. Comp. n. 325.*

R. ad 3^m Quærs. Votum prius emissum servandum est; votum enim illud tempus determinatum afficiens, ligat voventis voluntatem, et impedit ne aliam obligationem huic eidem tempori affixam suscipere possit. Ergo secundum votum eo ipso est irritum, quum jam voluntatem diversimode obligatam respiciat; fit enim de re non amplius libera, et proinde de re impossibili.

314. — *R. ad 4^m Quærs. Affirm.* Votum enim illud sane est de bono

meliori, præsertim pro muliere quæ ad indiscrete vovendum propensa est. Consequenter, si adhuc propria voluntate voveat, invalide vovebit, quum circa hoc voluntatem liberam jam amplius non habeat. *V. Comp. n. 330, etc.*

CASUS XI.

OBLIGATIO VOTI 2°.

Vovens ultra postulationem exauditus.

BERNARDUS, vir dives et prole carens, voto promisit extruere quoddam Sacellum, et Missam perpetuo fundare, si masculina prole bearetur. Adeo fuit exauditus vir bonus, ut successu temporis dubitaverit annon rursus deberet aliud votum emittere, ne prolibus nimium gravaretur. Sacello autem nondum penitus exstructo, diem obiit supremum. Reserato ejus testamento, hæredes, quorum septenarius erat numerus, plura alia legata etiam reperiunt, ex quorum executione notabiliter pars eorum legitima læderetur. Igitur interrogant ad quid teneantur?

HINC :

QUÆR. 1° *An hæredes BERNARDI fuerint obligati ad expensas pro Sacello finiendo, Missaque fundanda?*

2° *An ad hæc et ad cætera pia legata teneantur cum læsione partis legitimæ, et quo ordine hæc exsequenda sint?*

SOLUTIO :

315. — *R. ad 1^m Quæ.* Hæredes BERNARDI *per se* tenentur exsequi votum patris integrum, et pia legata adimplere, si possint. Ratio est, quia, licet vota personalia parentum, ut sunt preces fundendæ, piæ peregrinationes peragendæ, ad hæredes non transeat, si a voventibus adimpleta non fuerint, vota tamen realia seu obligationes solvendi pecuniam, vel quid pecuniæ æquivalens, ad successores in hæreditate spectant; siquidem hæreditatem ipsam afficiunt, ipsique inhærent, seu onere ipsam hæreditatem gravant, cum ex ea persolvenda sint. Nec habendum est ut irritum patris votum, ex eo quod ultra postulationem fuerit exauditus; nam id, quod petebat, revera obtinuit.

316. — *R. ad 2^m Quæ.* 1° Quamquam debita patris ex votis seu etiam donationibus totam hæreditatem per se afficiant et gravent; et si solvantur ante patris mortem, nihil (saltem si moderata ea fuerint) detrahant portioni de qua ipse pater legitime occasione mortis disponere potest; tamen, si nec vota impleta fuerint, nec donationes per traditionem perfectæ ante patris obitum, tunc non afficiunt nisi portionem de qua pater testando posset disponere. Hæredes itaque sicut pia defuncti legata, ita et vota non tenentur implere cum læsione portionis suæ legitimæ, quæ ex lege ipsis integra servari debet; et idcirco gravamina omnia, quæ a testatore fiunt in præjudicium legitimæ sive per vota sive per legata pia, nullius sunt roboris. *Sanch. in Decal. l. 4, c. 15; n° 33; et Elbel, n° 226, ubi ait : Ita communissime Doctores.*

2° Quo ordine vero debita a BERNARDO relicta solvenda sint?

R. Solutio votorum præferri debet cæteris legatis piis; quia obligatio votorum prius contracta fuit. Si hæreditas libera non sufficiat simul pro Sacello finiendo et pro Missa fundanda, Sacellum perficiendum est. Hoc ex ipsa rei natura patet; secus enim nullatenus intentioni fundatoris satisfieret. Cæterum, ubi sunt plura vota realia ab hæredibus adimplenda, nec sufficit hæreditas ad omnia persolvenda, omnibus æqualiter *pro rata* satisfaciendum est, quia omnia eodem modo ex virtute religionis obligant. *Elbel, n. 226. — Layman. — Sanch.*

CASUS XII.

OBLIGATIO VOTI 3°.

GERMANUS sic pluribus votis satisfecit.

1° Vovit curare, ut quinque Sacra fiant in honorem B. Virginis: solvit quidem stipendia necessaria; sed Sacerdos qui hæc accepit, antequam Sacra faceret obiit, nec reliquit ut sepeliri posset.

2° Vovit alere pauperem per annum; et obligationem implere intendit, alendo patrem suum in vera necessitate constitutum.

3° Vovit dare centum francos alicui familiæ in necessitate versanti; et postea amicum aliquem rogavit, ut pecuniam hanc pro se erogaret.

4° Vovit piam peregrinationem; cogitavit de ea pedibus peragenda, et curru eam fecit. Alia vice vovit peregrinari equitando; sed cum equum habere non potuisset, peregrinationem omisit.

5° Vovit recitare coronam B. Virginis singulis sabbatis; aliquando autem, voti immemor, coronam ex devotione recitavit, nec postea, licet de voto recordaretur, aliam coronam subjunxit.

HINC :

QUÆR. *An GERMANUS in singulis obligationi susceptæ satisfecerit?*

SOLUTIO :

317. — *R. In primo casu*, GERMANUS voto satisfecit, licet sciat Missas non fuisse lectas, neque legendas esse; quia, quantum de se erat, curavit, ut fieri solet, ut legerentur, nec se obligavit ad certum eventum secuturum. *Reuter, n. 345.*

In secundo casu, votum non adimplevit, quia censetur vovisse eleemosynam, et aliquid non jam debitum; filius autem, saltem ex pietate, tenetur alere parentem. Satisfaceret tamen, si aleret aliquem cognatum pauperem, quia hunc alere non tenetur, nisi forte in gravi necessitate. *Reuter, n. 345. — Lacroix, n. 434.*

In tertio casu, GERMANUS satisfecit; quia quod dat alter, fit ejus proprium, et proinde suo solvit quod promiserat. Finis voti fuit succurrere proximo indigenti, seu procurare ut ejus miseria sublevaretur. Porro id præstitit GERMANUS. Ergo non est inquietandus. Secus tamen, si materia voti realis fuisset determinata, v. g. vovisset dare rem hanc, vel alteram,

quia tunc illa in individuo eroganda esset. *S. Lig. n. 217. — V. Comp. n. 328.*

318. — *In quarto casu*, ad primam partem satisfecit, quia, licet cogitaverit de illo modo peregrinandi, illud tamen non fuit objectum voti; cogitatio enim peregrinationis pedestris non inducit obligationem, nisi de ea etiam fiat promissio. Promisit autem nudam peregrinationem; porro vere peregrinatur. Ergo... Ad secundam partem cessavit obligatio ob impotentiam, licet pedestris hanc peregrinationem peragere valeat. Ratio est, quia tali et non alio modo obligationem suscepit. Ergo, si modus impossibilis fiat, obligatio quoque voti cessat; motus enim ille notabiliter difficultatem itineris minuit. *Reuter, n. 345.*

In quinto casu, GERMANUS satisfecit, proinde non fuit obligatus ad aliam coronam B. Virginis recitandam. Ratio est, quia quisque censetur habere intentionem generalem prius satisfaciendi operibus ex obligatione ponendis, quam aliis omnino liberis. Idem de pœnitentia sacramentali dicendum est. *S. Lig. n. 224. — Sporer. — Sanchez. — Lessius. — Layman, etc.*

CASUS XIII.

CESSATIO VOTI 1°.

1° POLIDORUS, rerum mundanarum vanitate spreta ac contempta, vovet ingredi intra annum Ordinem Carthusianorum, quod paulo post alacriter perfecit. Verum, decurrente anno novitiatus, tædio altissimæ solitudinis affectus, respicit retro, et adeo se negligenter habet in legibus Ordinis servandis; ut a Superioribus mox dimittatur. Putat autem POLIDORUS se voto suo satisfecisse.

2° CLITOMACUS vovet ingredi Religionem, nullum Ordinem in specie mente revolvens. Voti adimplendi gratia, se in sodalitatem Capucinatorum contulit, ut in ea regulam experiretur. Verum ex experientia didicit, se huic vitæ generi omnino imparem esse. Quapropter pristinam vitam inter sæculares repetiit, existimans se voto satisfecisse.

HINC :

QUER. 1° *Quandonam cesset obligatio voti?*

2° *An POLIDORUS a voto liberetur in primo casu? et quid si sponte sua discessisset?*

3° *An CLITOMACUS obligationi satisfecerit in secundo casu?*

SOLUTIO :

319. — *R. ad 1^m Quæ.* Obligatio voti cessat intrinsece per veram ejus adimplentem, per cessationem causæ moventis, per mutationem materiæ, per impossibilitatem physicam vel moralem illud implendi. Cessat autem extrinsece per dispensationem, irritationem, et commutationem, ut infra dicitur.

320. — *R. ad 2^m Quæ.* 1° POLIDORUS non censetur satisfecisse voto, si procuravit directe vel indirecte ut ejiceretur; quia tunc non tam eji-

tur, quam ipse sua voluntate egreditur, sine rationabili causa. Verum, si absque tali intentione, licet ex fragilitate, aut prava consuetudine, ita se gerat ut ejici mereatur, nihilominus voto suo satisfecisse judicandus est, quia jam fecit quod promisit, probando Religionem.

2° Si POLIDORUS sponte discessisset, pariter est distinguendum: si ex rationabili causa discessisset, v. g. ratione infirmæ valetudinis, vel quia est impar obligationibus monasterii adimplendis, etc., ab obligatione voti liberatur; secus vero, si absque justa causa ad sæculum rediisset. *Suarez, de Religione, l. 4, c. 3, n. 9.*

321. — *R. ad 3^m Quæ.* Quid de CLITOMACO? Major est difficultas. Quapropter non consentiunt Theologi. Hinc duplex datur sententia ratione gravi innixa.

I^a *Sententia* docet eum a voto minime liberari, sed teneri alium Ordinem, imo et plures experiri. Ratio est, quia vovit ingressum in Religionem in genere, proinde obligationem contraxit cum toto Ordinum religiosorum genere. Ergo liberari non potest, quia ab obligatione erga unum tantum Ordinem eximitur; ergo alium Ordinem ingredi debet. Etenim, si familia Capucinatorum non ei conveniat, alia familia, v. g. Dominicanorum, Carmelitarum, Jesuitarum, convenire potest. Attamen a voto censeretur liberatus, postquam quatuor vel quinque Ordines absque successu ingressus fuerit; tunc enim præsumere posset se etiam ad alios Ordines esse ineptum.

II^a *Sententia*, contra, POLIDORUM ab omni alia obligatione liberat, nisi certo constet hanc fuisse claram et expressam intentionem voventis. Hic enim potuit quidem se obligare ad probandum sæpius in pluribus locis vel Religionibus; sed quoties votum fit simpliciter et ordinario modo, non videtur ita explicanda intentio voventis. Ratio est, quia solum vovet ingredi Religionem; ergo tantum vovet semel ingredi. Nam qui indefinite promittit aliquid agere, v. g. jejunare, ex vi voti, solum obligatur ad id semel faciendum, quia ad veritatem indefinitam sufficit ut semel in particulari verificetur. Ergo qui semel ingressus est Religionem, et bona conscientia, seu justa de causa non perseveravit, sufficienter votum illud implevit. Ergo ejus obligatio manet extincta. Præterea onus gravissimum esset, iterum ac sæpius loca vel Religiones probare, et in eis semper de novo novitiatum inchoare; tanta autem obligatio videtur prorsus aliena ab intentione voventium. Idem dicendum est, si non ipse vovens voluntarie egrediatur, sed a Religione ejiciatur, propter eandem rationem, modo ille bona fide processerit. *Ita Suarez, de Religione, l. 4, c. 3, n. 11, etc.* Hæc autem sententia vera probabilitate tum intrinseca tum extrinseca gaudere videtur.

CASUS XIV.

CESSATIO VOTI 2°.

CLAUDINA vovit aliquam piam peregrinationem quotannis peragendam, et aliquam eleemosynam singulis diebus Dominicis erogandam, necnon jejunium die sabbati servandum. Cum autem postea Religionem fuisset in-